

H.F.u. f. 80^a (150²u)

DE

MENTIS ESSENTIA

SPINOZA QUID SENSERIT

DISQUISIVIT

et apud Facultatem Litterarum Parisiensem

DISPUTAVIT

ad Doctoris gradum promovendus

EDMOND COLSENET

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

IN LYCÆO INSULENSI AGGREGATUS PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.



PARISIIS

LIBRAIRIE GERMER BAILLIÈRE ET C^{ie}

408, BOULEVARD SAINT-GERMAIN. 408.

—
1880.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF KING CHARLES THE FIRST

BY JOHN BURNET

IN TWO VOLUMES

LONDON

Printed by J. Sturges, in Pall-mall

1704

Printed by J. Sturges, in Pall-mall

1704

Printed by J. Sturges, in Pall-mall

1704

Printed by J. Sturges, in Pall-mall


OPTIMO PATRI

UNIVERSITATIS OLIM PROFESSORI

Grati animi hoc pignus

D. D. D.

E. C.



PARS PRIMA.



DE MENTIS ESSENTIA.

1893 2143

CAPUT I.

QUID SIT ALICUJUS REI, QUID MENTIS ESSENTIA ?

I. — Quid hoc verbo « *essentia* » significare voluerit Spinoza, totâ ipsius doctrinâ certo definitur : « Ad essentiam alicujus rei id pertinere dico, quo dato res necessariò ponitur, et, quo sublato, res necessariò tollitur ; vel id sine quo res, et vice versâ quod sine re nec esse, nec concipi potest ⁽¹⁾. » Nihil autem necessarii in se complectitur essentia, et, quamvis res quæque ad existendum aliâ re quâdam necessariâ indigeat, hæc res non illius essentia dicetur. Hominis scilicet essentia non involvit necessariam existentiam, namque ex naturæ ordine tam fieri potest ut hic et ille homo existat, quam ut non existat ⁽²⁾.

Quare non dixit Spinoza id ad essentiam alicujus rei pertinere, sine quo res illa nec esse nec concipi

(1) *Opera posthuma*, Amsterdam, 1677. — *Eth* Pars II, def. II, p. 40.

(2) *ibid.* Ax. I, p. 41.

potest. sed id, quo dato, res ponitur, et, quo sublato, res tollitur. Nihil enim, nisi existente Deo, existit; nullius autem rei Deus est essentia. « Res singulares non possunt sine Deo nec esse, nec concipi, et tamen Deus ad earum essentiam non pertinet ⁽¹⁾. »

Nec magis in essentiâ aliquid comprehenditur omnibus rebus commune, quo omnes æque definiantur, sed proprium aliquid et singulare, quo res quæque constituitur. « Id quod omnibus commune, quodque æque in parte ac in toto est, nullius rei singularis essentiam constituit. — Si negas, concipe, si fieri potest, id essentiam alicujus rei singularis constituere, nempe essentiam B. Ergo id sine B non poterit esse, neque concipi; atqui hoc est contra Hypothesin ⁽²⁾. » Non enim eadem vis est essentiæ atque *ideis* quas Plato necessarias et universales, non in rebus singulis, at supra res ipsas instituerat.

Quid igitur de mentis essentiâ Spinoza senserit nunc est inquirendum.

II. — Omnibus innotuit unam tantum, Spinoza auctore, substantiam esse, eandemque Deum. « Per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat ⁽³⁾. » Homines autem multi versantur, nec possunt unius substantiæ

(1) *Ibid.* Prop. 10, Corol. Schol, p. 50.

(2) *Ib id.* Prop. 37, p. 74.

(3) *Eth.* Pars I, def. III, p. 1

similes haberi. Necessaria quoque substantia est, homo contingens. Quamobrem « præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia ⁽¹⁾. »

Nec tamen substantiæ partem aliquis mentem vere diceret; substantia enim absolute infinita, indivisibilis est. Verumtamen non ideo mens a Deo segregata, et, ut ita dicam, libera manet; nam « quidquid est, in Deo est, et nihil sine Deo esse neque concipi potest ⁽²⁾. »

Deus autem, id est substantia, innumeris determinatur *attributis* quæ illius essentiam constituunt. « Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantiâ percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens ⁽³⁾. » Quorum duo tantum nobis cognoscere licet, extensionem scilicet et cogitationem: Deus enim res est extensa, Deus res est cogitans ⁽⁴⁾. Quæquidem attributa *modis* quoque, seu modificationibus determinantur. Ab attributis enim modi eo differunt, quod ipsius substantiæ finitæ sunt, instabilesque species, attributa vero æternæ, infinitæque. Quapropter, ut modus quisque existat et concipiatur, re alterâ opus est quæ omnes ejusdem generis modos in se involvat ⁽⁵⁾. Homo autem, si quis in eo corpus simul et mentem attenderit, ex modis quibusdam inter se sociatis constituitur. « Hinc

(1) *Ibid.* Prop. 14, p. 12. — Cf *Eth.* Pars II, prop. 10, p. 58

(2) *Ibid.* Prop. 15, p. 12.

(3) *Ibid.* Def. 4, p. 1.

(4) *Eth.* Pars II, prop. 1 et 2, p. 42.

(5) Vid. *Spinoza's neuentdeckter Tractat von Gott, dem Menschen und dessen Glückseligkeit*, erläutert von D^r Christoph Sigwart. — Gotha 1866, p. 45 et seq.

sequitur essentiam hominis constitui a certis Dei attributorum modificationibus ⁽¹⁾. »

Mentis essentia infinitæ cogitationis est modus, sive *idea*. « Quod actuale mentis humanæ esse constituit, nihil aliud est, quam idea rei alicujus singularis actu existentis ⁽²⁾. » Idea enim rei non existentis non ipsa, ait Spinoza, existeret. — Mens præterea rei finitæ idea est: res enim infinita necessariò existit; atqui, ut supra dictum, hominis essentia non involvit necessariam existentiam. (*Eth.* Pars II, ax. 1).

Hoc autem parum liquet, quonam scilicet pacto una, absoluta, infinitaque substantia in res essentiâ finitas, determinatasque resolvatur. Modi enim non e Deo, veluti effectus a causâ, oriuntur, at ipsæ ipsius Dei species sunt diversæ *quatenus* ille singularibus formis exprimitur ⁽³⁾.

III. — Quid ergo idea sit, et quomodo idea, quæ mentis humanæ essentiam constituit, a ceteris ideis distinguatur etiam dijudicandum. Sunt enim ideæ multæ, quæ mente in ipsâ continentur, quas quidem istius animi qui concipit et consociat, plane dissimiles philosophorum plerique existimaverunt; illæ enim mutantur in horas, hic autem inconcussus perstare ac permanere videtur. « Per ideam intelligo mentis con-

(1) *Eth.* Pars II, prop. 10. Coroll., p. 49.

(2) *Ibid.* prop. 11, p. 50.

(3) Vid. Spinoza. — *Seine Lehre und deren erste Nachwirkungen in Holland*, von Antonius van Linde aus Harlem. — Gottingen 1862, p. 45-46.

ceptum quem mens format, propterea quod res est cogitans..... Dico potius conceptum, quam perceptionem, quia perceptionis nomen indicare videtur mentem ab objecto pati. At conceptus actionem mentis exprimere videtur ⁽¹⁾. » Quæquidem ceterum ideæ adæquatæ sunt aut inadæquatæ.

Minime igitur naturâ idea, quæ mentem constituit, ab ideis differt quæ in mente versantur, quum hæc et illæ nihil sint aliud nisi cogitationis modi, eo inter se similes; sepositâ enim extensione, nullum aliud cognoscitur a nobis attributum cui sit ista referenda. Nos alioquin non fugit unam esse, eamdemque omnibus substantiam. — At communi naturâ congruentes ideæ, *objecto* distant inter se. (*Eth.* Pars II, pr. 13, Schol). Quid ergo, et quale sit mentis objectum ante quærendum est, quam videatur utrum illius mentis essentia sit simplex, an ex pluribus una.

IV. — « Objectum ideæ, humanam mentem constituentis, est *corpus*, sive certus Extensionis modus actu existens, et nihil aliud ⁽²⁾. » Unde sequitur hominem e mente et corpore constare; corpus autem humanum, prout ipsum sentimus, existit ⁽³⁾. At multa quoque, diversissimaque sunt corpora quæ extensionem dividant ac definiant; unde necesse est quid inter cætera et corpus mente expressum intersit, reperiatur.

(1) *Eth.* Pars II, Def. 3, p. 40.

(2) *Ibid.* Prop. 13, p. 52.

(3) *Ibid.* Coroll.

« Per corpus intelligo modum , qui Dei essentiam , quatenus , ut res extensa , consideratur , certo et determinato modo exprimit ⁽¹⁾. » Veluti ideæ , inter se non naturâ corpora differunt , namque unius , ejusdemque attributi conceptum involvunt omnia , uno tantum *motu* distinguuntur.

Nullum corpus , quantum ex Spinozæ scriptis judicare est , non ex aliis corporibus compositum videtur. Nihil enim , præter substantiam , plane simplex dicitur. Quapropter animale corpus ex ordine quodam partium , motuumque tantum consensu fit unum ; nec ipsæ partes eædem , eodemque in loco manent , at vitæ , ut ita dicam , cursu abreptæ continuo fluunt , donec , recentioribus in vicem succedentibus , e corpore suo egrediantur ad novum quoddam informandum corpus. — Quæ quidem doctrina , paucis ex sententiis definitionibusque , longâ serie argumentorum à priori deductâ cum doctrinis longè aliâ viâ hodie probatis , mire congruit.

« Ax. 1. — Omnia corpora vel moventur , vel quiescunt.

» Ax. 2. — Unumquodque corpus , jam tardius , jam celerius movetur.

» Lem. 1. — Corpora ratione motûs et quietis ; celeritatis et tarditatis , et non ratione substantiæ ab invicem distinguuntur ⁽²⁾. »

Quum autem aliquot corpora ita coërcentur et mo-

(1) *Ibid.* Def. 1, p. 40.

(2) *Ibid.* p. 53.

ventur, ut motus suos invicem, certâ quâdam ratione communicent, « illa corpora invicem unita dicemus, et omnia simul unum corpus, sive Individuum componere (1). »

Adeo enim ex ordine tantum et motu partium constituitur « Individuum » ut, si earum quædam segregentur, et simul totidem aliæ ejusdem naturæ earum in locum succedant, teneat Individuum priorem naturam; haud secus si partes majores, minoresve evadant, eâ tamen proportionem, ut omnes eandem quam antea invicem motûs et quietis rationem servant; aut etiam si totum corpus moveatur sive quiescat, « dummodo unaquæque pars motum retineat eumque, uti antea, communicet (2). »

Id est, si ad corpora tantum respicias, « individuum », solâ scilicet motuum ratione unum.

V. — Verumtamen illa quoque « individua » ita possunt inter se disponi ut in novo quodam corpore involvantur; partesque ipsa fiant unius animalis. Eo etiam consentire ac consonare videtur Spinoza cum iis qui, nostrâ ætate, nec falso, docent animal quodque ex diversis animalibus concretum, quasi societatem haberi, cujus singuli cives munere proprio vitam communem alunt. Ipsius proferenda sunt verba: « Quod si jam aliud concipiamus, ex pluribus diversæ naturæ individuis compositum, idem pluribus aliis modis posse

(1) *Ibid.* Def. , p. 55

(2) Vide. *Eth.* Pars II, Lemm. 4, 5, 6, 7, p. 56 et seq.

affici reperiemus, ipsius nihilominus servatâ naturâ....

.... Quod si præterea tertium Individuorum genus, ex his secundis compositum, concipiamus, idem multis aliis modis affici posse reperiemus, absque ullâ ejus formæ mutatione. Et si sic porro in infinitum pergamus, facile concipiemus, totam naturam unum esse individuum, cujus partes, hoc est omnia corpora, infinitis modis variant, absque ullâ totius individui mutatione ⁽¹⁾. »

VI. — Nunc demum videre est corpus humanum, cujus mens est idea, ex innumeris individuis constare, in eoque nihil unum esse nisi e consensu motuum. Quin autem singulæ partes, veluti materia vitæ continuo mutantur, novæque succedant in locum, quis hodie dubitet? Idem manet ordo.

« Corpus humanum componitur ex plurimis (diversæ naturæ) individuis, quorum unumquodque valde compositum est.

« Corpus humanum indiget, ut conservetur, plurimis aliis corporibus, a quibus continuo quasi regeneratur ⁽²⁾. »

(1) *Ibid.*

Lemm. 7. Schol., p. 67.

(2) *Ibid.*

Postul. 1 et 4, p. 58.

CAPUT II.

SITNE MENS SIMPLEX ET UNA?

VII. — Quum ea sit corporis essentia humanâ mente expressi, mentem quoque non magis ipsam a ceteris mentibus sive ideis differre, quam corpus humanum a ceteris corporibus suspicari licet. « Omnia enim individua, quamvis diversis gradibus, animata sunt. » Nam cujusque rei necessario datur in Deo idea, nec solum, si quidem Spinozæ sententiam vere perspiciamus, cujusque partis idea, sed etiam totius rei compositæ, ita ut aliud sit aliquid in mente animali quâque ac summa idearum. Quod saltem confirmare videntur hæc verba : « Attamen, nec etiam negare possumus ideas inter se, ut ipsa objecta, differre, unamque aliâ præstantiorem esse, plusque realitatis continere, prout objectum unius objecto alterius præstantius est, plusque realitatis continet ⁽¹⁾. » Qualis sit igitur mens humana

(1) *Eth.* Pars II, Prop. 13. Schol., p. 52.

omnino sequitur ex humano corpore. Quamvis monas quæque, ait etiam Leibnitzius, rerum universitatem exprimat, corpus suum, cujus est intelegia, clarius exprimit ⁽¹⁾.

VIII. — Quapropter, composito corpore, « idea quæ esse formale mentis constituit, non est simplex; sed ex plurimis ideis composita. »

Mens enim e duobus præsertim idearum generibus composita videtur :

1^o Ex ideis primo partium aut etiam individuorum quæ coercent in se corpus humanum. Cujusque enim partis datur necessariò in Deo idea, ergo corporis humani idea ex ideis partium componentium est composita ⁽²⁾.

2^o Alius generis ideas quoque mens comprehendit, in prioribus quidem involutas, ideas scilicet modificationum quibus afficitur corpus humanum, quæque simul et corpus illud, et externa corpora exprimunt. « Hinc sequitur primo mentem humanam plurimorum corporum naturam una cum sui corporis naturâ percipere ⁽³⁾. » Quare haud immerito dici potuit mentem non solius corporis sui, sed externorum quoque corporum ideam esse ⁽⁴⁾. Infra etiam erit videre mentem non

(1) Leibnitz. *Monad.*, § 62.

(2) *Eth.* Pars II, prop. 15, p. 54.

(3) *Ibid.* prop. 16. Coroll., p. 60.

(4) Vid. *Der Menschliche Geist als Idee äusserer Körper. — Geschichte der neuern Philosophie*, von Kuno Fischer. — Heidelberg 1865, tom. II, p. 431.

tantum corporis affectiones, sed etiam harum affectionum ideas percipere; eoque aptiorum esse ad plura percipiendum quo ejus corpus pluribus modis « disponi » possit (1).

Ex quo fit ut corpus illud, in quo plurimæ partes continentur, eo diversissime queat affici, mensque illa quâ id exprimitur, plurimas in se diversissimasque ideas involvat. Quanto igitur ceteris mens est præstantior, eo quoque magis composita.

Quibus expositis, facile intelligitur quomodo Spinoza dixerit hanc modificationem quam mentem vocamus originem a corpore ducere, ab eoque uno pendere (2).

IX. — At quum tot ex partibus diversis mens confletur, nihilne in ea est vere unum, quo dici possit res vere singularis? Quod quidem raro venit in quæstionem; plerique enim qui de Spinoza disputaverunt verbis illius hærentes, mentem e partibus compositam sine controversiâ duxerunt (3).

Haud dubium hanc unitatem ex pluribus nasci; nihilne tamen aliud est in mente nisi summa et quasi acervus idearum, quarum quæque sola reipsa existat? Imo vero, nostrâ sententiâ (4), siquidem cujusque rei

(1) *Eth.* Pars II, prop. 22, prop. 14, p. 65, p. 59.

(2) *Dieu, l'homme et la béatitude*, trad. P. Janet, p. 129.

(3) Kuno Fischer. *Geschichte der neuern Philosophie*. — Heidelberg 1865, tom. II. p. 430. — Emile Saissset. — *Introduction critique aux Œuvres de Spinoza*, p. 111.

(4) Vide etiam. *Revue des Deux Mondes*, 15 juillet 1867. — *Spinoza et le Spinozisme*, par P. Janet, p. 492.

in Deo necessario detur idea, (nulla autem res est absolute simplex), quum ideæ multæ inter se, lege quâdam corporis motuum sociatæ sunt, necesse est ut nova quædam detur idea quæ non solum partes singulas, sed etiam totius rei ordinem exprimat. Quæquidem idea, non ex pluribus tantum concreta, sed una, simulque et a partibus, et a summâ differens, nihil nisi mens est. Quod si non ita se res haberet, quomodo dixerit Spinoza « ideas inter se ut ipsa objecta differre, unamque aliâ præstantiorem esse, plusque realitatis continere, prout objectum unius, objecto alterius præstantius est, plusque realitatis continet? » Quæ causa est cur innumeræ mentes in cogitatione versentur quæ diversissimis corporibus diversissime respondeant. — Mens igitur humana, ut ex Spinozæ scriptis apparet, vere singularis est et una, quamvis alias in se ideas amplectatur.

CAPUT III.

NIHIL EST IN MENTE QUOD NON EX IDEA ORIATUR.

X. — Facilis est conjectura nullam esse in humanâ mente *facultatem*, neque virtutem, neque vim agendi, quæ sit essentiâ dissimilis idearum. Nihil enim in eâ reperias nisi ideas, quæ inter se certis legibus consociantur.

« Mens certus et determinatus modus cogitandi est, adeoque suarum actionum non potest esse causa libera, sive absolutam facultatem volendi et nolendi habere non potest ⁽¹⁾. » Ob eandem causam nulla absoluta facultas datur intelligendi, cupiendi, aut amandi. « Unde sequitur has, et similes facultates, vel prorsus fictitias, vel nihil esse præter entia metaphysica, sive universalialia, quæ ex particularibus formare solemus.... Adeo ut intellectus et voluntas ad hanc et illam ideam,

(1) *Eth.* Pars II, prop. 48, dem., p. 85.

vel ad hanc et illam volitionem eodem modo sese habeant, ac lapideitas ad hunc et illum lapidem, vel ut homo ad Petrum et Paulum ⁽¹⁾. »

Quidquid in mente est, ad ideam a Spinoza refertur. — Voluntatem primo apud eum non ab intellectu differre, ideoque volitionem et ideam unam esse eandemque rem, non est quæstio. Voluntas enim affirmandi et negandi quid verum, quidve falsum sit facultas dicitur, non autem cupiditas quâ mens res appetit vel aversatur. At, quum illæ facultates nihil sint nisi universales notiones, quæquidem a singularibus, e quibus eas formemus, minime distinguantur, inquirendum est an ipsæ volitiones aliquid sint præter ipsas rerum ideas, « an in mente alia affirmatio et negatio detur præter illam quam idea, quatenus idea est, involvit ⁽²⁾. »

De ideâ enim Spinoza doctrinam profert maxime conspicuam. Idea scilicet, sive *mentis conceptus*, neque imago rei alicujus, neque verbum quo res significamus, habenda est, nec est « veluti picturæ in tabulâ mutæ, » sed actio quæ *affirmationem* involvit ⁽³⁾.

Quapropter « in mente nulla datur volitio, sive affirmatio et negatio, præter illam, quam idea, quatenus idea est, involvit ⁽⁴⁾. » — Voluntas igitur, sublati volitionibus quibusque, nulla est, et « dicendum etiam est

(1) *Ibid*

(2) *Ibid.*

(3) *Ibid.* Prop. 49. Schol., p. 86.

(4) *Ibid.*

de quâcumque volitione, nempe, quod præter ideam, nihil sit ⁽¹⁾. »

De libertate autem disserere neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium.

XI. — Haud secus ac volitio, *affectus* ipse, si ex eo tantum quid sit in mente respexeris, ad ideam quoque refertur.

Duo sunt enim affectûs elementa, dissimilia simul inter se et juncta : « Per affectum intelligo corporis affectiones, quibus ipsius corporis agendi potentia augetur, vel minuitur, juvatur, vel coercetur, et simul harum affectionum ideas ⁽²⁾. » Quod si alicujus affectionis adæquata possumus esse causa, affectus actionem declarat; sin minus, passionem. Causa autem adæquata ea habenda est cujus effectus potest clare et distincte per eandem percipi; inadæquata vero cujus effectus per ipsam solam intelligi nequit ⁽³⁾.

Ne quem præterea fallant hæc verba : agere et pati, quippe quæ nihil in se habeant cujus rationem reddere non sola valeat idea. Agimus enim « quum aliquid in nobis, aut extra nos *fit*, cujus adæquata sumus causa, hoc est quum ex nostrâ naturâ aliquid in nobis, aut extra nos *sequitur*, quod per eandem solam potest clare et distincte intelligi. » Patimur contra « quum in

(1) *Ibid.* Dem.

(2) *Eth.* Pars III, def. 3, p. 95.

(3) *Ibid.* def. 1.

nobis aliquid *fit*, vel ex nostrâ naturâ aliquid sequitur, cujus nos non, nisi partialis, sumus causa ⁽¹⁾. »

Nihil aliud igitur significant agere et pati, nisi quod ex ideis quibusdam naturâ consequitur. Quare ex eo tantum quod inter se differant ideæ, dissimilis actio dicitur passionis. Mens scilicet quatenus adæquatas habet ideas, necessariò quædam agit, et quatenus inadæquatas necessariò patitur. Posterius nobis erit inquirendum unde menti veniat hæc agendi potestas, nunc modo animadvertendum eam nihil aliud esse quam necessariam idearum et affectionum *consecutionem*. « Ex datâ quâcumque ideâ aliquis effectus sequi necessariò debet ⁽²⁾. »

Affectus ita ad ideam quoque refertur. Notum satis tres tantum affectus in Ethice a Spinoza discerni, nempe lætitiâ, tristitiâ et cupiditatē, quæ inter se et cum ideis mixtæ ceteros informant ⁽³⁾.

XII. — Ita intelligitur quomodo nulla sit in mente facultas ab ideis vere secernenda. Ideæ autem *concatenationis* legibus reguntur, quas summæ laudi est Spinozæ optime descripsisse. Duplex est, ut ita dicam, concatenatio : Inter se enim nectuntur et ideæ unde nascuntur intellectûs proprie dicti habitus, — et ideæ unde diversi affectus.

(1) *Ibid.* def. 2.

(2) *Ibid.* Prop. 110, dem., p. 96.

(3) Vid. L. Carrau, *Les Passions dans Descartes, Malebranche et Spinoza*.

1^o Concatenatio primùm clarissimis verbis distinguitur a serie idearum quæ dialectice, rationisque legibus inter se junguntur : « Dico hanc concatenationem fieri secundum ordinem, et concatenationem affectionum corporis humani, ut ipsam distinguerem a concatenatione idearum, quæ fit secundum ordinem intellectûs, quo res per primas suas causas mens percipit, et qui in omnibus hominibus idem est⁽¹⁾. »

Sic enim in mente idearum ordo affectionum ordinem refert, ut, si corpus humanum semel duobus vel pluribus corporibus fuerit simul affectum, ubi mens postea eorum aliquod imaginata fuerit, statim et cæterorum recordetur. Ita Spinoza memoriam interpretatur, causamque indicat cur ex cogitatione unius rei statim in alterius cogitationem incidamus quæ prioris minime sit similis ; quamobrem ex eo quod in scholiâ pr. 18 (*Eth.* Pars II) dixit, haud dubium est quin perceperit quanti momenti sit illa quæstio.

2^o Ob eandem causam affectus quoque ita inter se concatenatione quâdam nectuntur, ut alius ex alio menti occurrat. « Si mens duobus affectibus simul affecta semel fuit, ubi postea eorum alterutro afficietur, afficietur etiam altero⁽²⁾. » Quâ lege Spinoza docte et commode utitur ad demonstrandum ex eisdem paucis elementis diversissimos conflari affectus quos movent in nobis res similes aut dissimiles, præsentis, præteritæ aut futuræ⁽³⁾.

(1) *Eth.* Pars II, prop. 18. Schol., p. 63.

(2) *Eth.* Pars III, prop. 14 p. 107.

(3) Vide, p. 108 et seq.

XIII. — In mente igitur nihil aliud reperias nisi ideas quæ mille modis inter se consociantur, miscenturque. Quæ quidem doctrina his ipsius Spinozæ verbis breviter et tota exponitur : « Quod mentis essentiam constituit, nihil aliud est, quam idea corporis actu existentis, quæ ex multis aliis componitur, quarum quædam sunt adæquatæ, quædam autem inadæquatæ. Quicquid ergo ex mentis naturâ sequitur, et cujus mens causa est proxima, per quam id debet intelligi, necessariò ex ideâ adæquatâ, vel inadæquatâ sequi debet. At quatenus mens ideas habet inadæquatas, eatenus necessariò patitur, ergo mentis actiones ex solis ideis adæquatis sequuntur, et mens propterea tantum patitur, quia ideas habet inadæquatas ⁽¹⁾. »

(1) *Ibid* Prop. 3, p. 101.

CAPUT IV.

NIHIL INTER CONATUM ET IDEARUM SERIEM DISPAR.

XIV. — Sæpenumero tamen de *conatu* Spinoza loquitur, quo mens, veluti « unaquæque res, quantum in se est, in suo esse perseverare conatur. » Novumne ideo principium inter ideas induxit, cogitationisque naturâ dissimile, quo mentis essentia funditus mutetur? Haud enim parvi refert inquirere utrum secum pugnaverit, sicut ei fuit objectum ⁽¹⁾, an sibi semper fuerit consentaneus et concors.

Ne exeat e memoriâ corpus et mentem unius tantum substantiæ modos esse, nihilque eorum essentiæ hædere quod in ipsorum definitione non contineatur. Quapropter nulla vis vera et activitas nisi in Deo est, nec jure conatus propria mentis diceretur et quasi peculiaris virtus.

(1) Vid. Sebastiano Turbiglio. *Beneditto Spinoza et le trasformazioni del suo pensiero*. — Roma 1875, p. 105 et seq.

Præterea, etsi non infitiandum Spinozam ambiguo verbo esse usum, minime dubium videtur nihil aliud eum significare voluisse quam necessariam idearum, aut idearum et motuum consecutionem, nec quidquam in se hunc conatum comprehendere quo possit conatui, de quo locutus est recens quidam philosophus noster⁽¹⁾, jure conferri. Simile potius in eo est aliquid *appetitionis*, si quis eam, omni omissâ substantiâ, meram factorum seriem habeat; nonne enim dixit Leibnitzius, quidquid aut fuit, aut futurum est in eo quod nunc est contineri? Quod ipsis ex propositionibus manifestum fit.

Res enim singulares ideoque mens, modi sunt, quibus Dei attributa certo et determinato modo exprimuntur, « hoc est res quæ Dei potentiam, quâ Deus est, et agit, certo et determinato modo exprimunt; neque ulla res aliquid in se habet, a quo possit destrui, sive quod ejus existentiam tollat; sed contra ei omni, quod ejusdem existentiam potest tollere, opponitur; ideoque, quantum potest, et in se est, in suo esse perseverare conatur⁽²⁾. »

Quamobrem, quod nullum dubitationi locum relinquit « ex datâ cujuscumque rei essentiâ quædam *necessariò sequuntur*, nec res aliud possunt, quam id, quod ex determinatâ earum naturâ *necessariò sequitur*; quare cujusque rei potentia, sive conatus, quo ipsa vel sola, vel cum aliis quidquam agit, vel

(1) Maine de Biran.

(2) *Eth.* Pars III, prop. 6, p. 102.

agere conatur..... nihil est præter ipsius rei datam, sive actuale *essentiam* ⁽¹⁾. »

At enim, nonne dixit Spinoza mentem sui conatûs esse consciam? — Dixit profecto; hoc autem nullius momenti ad id de quo agitur patebit esse, si animadvertas mentem idearum tantum esse consciam, e quibus quædam necessariò sequuntur : « Mens tam *quatenus* claras et distinctas, quam *quatenus* confusas habet ideas, conatur in suo esse perseverare indefinitâ quâdam duratione, et *hujus sui* conatus est conscia ⁽²⁾. » Mentis enim essentia ex ideis tantum adæquatis et inadæquatis constituitur. « Cum autem mens *per ideas* affectionum corporis necessariò *sui* sit conscia, est ergo mens *sui conatus* conscia. »

Tantum abest ut conatus aliquid sit a necessario idearum ordine differens, ut sub conditione quâdam fiat ipsa voluntas, quam quidem nihil aliud esse nisi affirmationem in ideâ involutam jam antea Spinoza demonstravit. « Hic conatus, cum ad mentem solam refertur, *voluntas* appellatur; sed cum ad mentem simul et corpus refertur, vocatur *appetitus*, qui proinde nihil aliud est, quam ipsa hominis *essentia*, ex cujus naturâ ea, quæ ipsius conservationi inserviunt *necessariò sequuntur*; atque adeo homo ad eadem agendum determinatus est..... Cupiditas est appetitus cum ejusdem conscientiâ ⁽³⁾. »

(1) *Ibid.* Prop. 7 dem.

(2) *Ibid.* Prop. 9.

(3) *Ibid.* Schol. , p. 104.

Nihil igitur novi inest in conatu, quod Spinoza, sibi-
metipsi discrepans, ideis addiderit. Mentis essentia
idea est, illaque idea quâ corpus exprimitur nihil in se
complectitur quod sit corporis existentiae contrarium,
ex eâ autem necessariò multa sequuntur; nec, si quis
doctrinam altius scrutari velit, alio sensu intelligendus
esse conatus videbitur.

CAPUT V.

DE IDEA CORPORIS HUMANI SUB ÆTERNITATIS SPECIE EXPRESSI.

XV. — Ne quid e mentis essentiâ omittatur, duobus idearum generibus, e quibus illa constituitur, tertium quoddam addendum est longè naturâ dissimile : Dei scilicet ideam dicimus, cujus gratiâ mens non solum immortalis, sed etiam æterna est⁽¹⁾.

De mentis quidem immortalitate non hic agitur; quum autem nihil mens nisi corpus exprimere videatur, inquirere licet quid, corpore amisso, ex eâ maneat.

Quamvis enim natura naturata neque existere, neque concipi possit sine substantiâ, quæquidem æterna est, fit tamen ut modi nascantur, morianturque. « At cujuscumque rei assignari debet causa, seu ratio, tam cur existit, quam cur non existit..... Hæc vero ratio seu causa, vel in naturâ rei contineri debet vel extra

(1) Vid. *L'idée de Dieu et ses nouveaux critiques*, par E. Caro, chap. VI.

ipsam ⁽¹⁾. » Quapropter necesse est ut extranea reperiatur causa cur corpus, ideoque illius idea pereant. « Vis quâ homo in existendo perseverat, limitata est, et a potentiâ causarum externarum infinite superatur ⁽²⁾. » Namque pars est naturæ, patiturque quum in eo aliquid oritur cujus est causa partialis, sive inædæquata. Ostendit autem argumento Spinoza neque hominem eum esse qui per se ipsum amoveat mutationes quæ a causis externis oriri possent; neque infinitâ naturæ potentiâ omnia singularia ita regi, ut homo nullas alias possit pati mutationes, nisi quæ ipsius conservationi inserviant ⁽³⁾.

Itaque rerum naturâ homo vincitur; ea enim mala dicuntur « quæ efficiunt ut corporis humani partes aliam ad invicem motûs et quietis habeant rationem. » Inde moritur corpus; « sed hic notandum, quod corpus tum mortem obire intelligam, quando ejus partes ita disponuntur, ut aliam motûs et quietis rationem ad invicem obtineant ⁽⁴⁾. »

XVI. — Novus ille veterum partium ordo novâ quoque ideâ, mente scilicet quâdam, exprimitur; quid autem e prioris essentiâ maneat quæstio est. Mens enim « nihil imaginari potest, neque rerum præteritarum recordari, nisi durante corpore ⁽⁵⁾. » Illa præ-

(1) *Eth.* Pars I, prop. 11.

(2) *Eth.* Pars IV, prop. 3, p. 168.

(3) *Ibid.* Prop. 4, dem. — Vid. etiam. Prop. 18, Schol.

(4) *Ibid.* Prop. 39.

(5) *Eth.* Pars V, prop. 21, p. 250.

terea, ut supra visum, corporis actu existentis affirmationem involvit ⁽¹⁾.

Tum vero Spinoza de alio quodam mentis elemento loquitur quod, corpore etiam diruto, superest. « In Deo tamen datur necessario idea, quæ hujus et illius corporis humani essentiam, *sub æternitatis specie* exprimit ⁽²⁾. » Namque Deus non corporis existentiae tantum causa est, sed etiam essentiae, quæ propterea ab eo necessario concipitur. Non autem durat mens, tempore definito, nisi quatenus corporis actualem existentiam exprimit; « cum tamen aliquid nihilominus sit id, quod æternam quâdam necessitate per ipsam Dei essentiam concipitur, erit necessario hoc aliquid, quod ad mentis essentiam pertinet, æternum ⁽³⁾. »

XVII. — Æternam quidem in Deo corporis ideam esse facile intelligitur, nonne autem longe alia ac mens hæc idea videtur, et, ut ita dicam, aliena? Spinoza tamen nos hujus quodam modo conscientes esse asseverat, namque sæpenumero dicit: « sentimus, experimurque nos æternos esse. ».... « sentimus mentem nostram, quatenus corporis essentiam sub æternitatis specie involvit, æternam esse ⁽⁴⁾. » Et ad id cognoscendum, « mentis oculi sunt ipsæ demonstrationes. »

Ita ad alteram causam adducitur Spinoza, cur mens

(1) Vid. *Eth.* Pars III, prop. 11, dem. Schol., p. 105.

(2) *Eth.* Pars V, prop. 22.

(3) *Ibid.* prop. 28, dem.

(4) *Ibid.* Schol. — Cf. Prop. 29.

non omnis moriatur, simulque novam in mentis essentiâ partem reperit. Non solum enim in Deo mentis humanæ idea datur, sed etiam in humanâ mente Dei idea quæ quidem morte non dissolvitur.

« Mens nostra, quatenus se et corpus sub æternitatis specie cognoscit, eatenus Dei cognitionem necessariò habet, scitque se in Deo esse, et per Deum concipi ⁽¹⁾. »

Illa quoque pars ultima mentis non tantum ad cogitationem pertinet sed etiam summa cognitio est. Namque Deus *tertio cognitionis genere* cognoscitur ⁽²⁾; ex quo oritur *Amor Dei intellectualis* ⁽³⁾, quod quidem æternus est ⁽⁴⁾; ceteri autem affectus qui corporis affectiones exprimunt, mortuo corpore, minime supersunt. « Mentis amor intellectualis erga Deum est ipse Dei amor, quo Deus se ipsum amat, non quatenus infinitus est; sed quatenus per essentiam humanæ mentis, sub specie æternitatis consideratam, explicari potest, hoc est, mentis erga Deum amor intellectualis pars est infiniti amoris, quo Deus se ipsum amat ⁽⁵⁾. » Sed hactenus, non enim de eâ re quæritur.

XVIII. — E quibus expositis aliquid sequitur de mentis essentiâ notandum; quo plura scilicet tertio illo

(1) *Ibid.* prop. 30. — Cf. *Eth.* Pars II, prop. 47.

(2) *Eth.* Pars V, prop. 31 et dem.

(3) *Ibid.* prop. 32, dem. Corol.

(4) *Ibid.* prop. 33, 34 et 37.

(5) *Ibid.* prop. 36. — Cf. *Eth.* Pars IV, prop. 28.

genere cognitionis quod mentem perfectam, beatamque facit, cognoscimus, eo plures nostrum partes mortem effugiunt ⁽¹⁾. Affectus autem mali nostrae sunt naturae contrarii; itaque ille cuius corpus ad plurimum aptum est, is minimè affectibus conflictatur, atque « adeo potestatem habet ordinandi et concatenandi corporis affectiones secundum ordinem ad intellectum, et consequenter efficiendi ut omnes corporis affectiones ad Dei ideam referantur ⁽²⁾. »

Ille enim partis vere nostrum aeternae auctus paulatim, nec apud omnes aequè perficitur. « Animadvertendum est, quod nos in continuà vivimus variatione, et prout in melius, sive in pejus mutamur, eo felices, aut infelices dicimur. Qui enim ex infante vel puero in cadaver transit, infelix dicitur..... Nam corpus habet ad paucissima aptum, et maxime pendens a causis aeternis, mentem habet quæ, in se solà considerata, nihil ferè sui nec Dei, nec rerum sit conscia; et contra, qui corpus habet ad plurima aptum, mentem habet quæ in se solà considerata, multum sui et Dei, et rerum est conscia ⁽³⁾. » Quapropter haud dubium quin censuerit Spinoza mentem, dum vita manet, non esse, sed continuo fieri, eamque, quamvis in inclytâ disputatione Plato negaverit ⁽⁴⁾, « magis minusve mentem esse. »

(1) *Eth.* Pars V, prop. 38.

(2) *Ibid.* prop. 39, dem. — Vid. *Spinoza et le naturalisme contemporain*, par Nourisson. — Didier 1866, p. 204.

(3) *Ibid.* Schol., p. 261.


(4) *Phædo*, resp. ad *Simmi*am.

Ne multa, mens igitur nihil aliud nisi cogitationis modus, sive idea est, una simul et ex aliis concreta. Duo quidem in ea involvuntur idearum genera : sunt enim primò ideæ quæ corpus, corporisque varias affectiones exprimunt, ideæ dein quæ ad Deum pertinent et ad eas res quæ ex illius cognitione necessario sequuntur. Hæc pars optima mentis nunquam objecto caret, æternaque est. Quæ doctrina in opere « de Deo » paucis collecta verbis reperitur ⁽¹⁾.

(1) *Dieu, l'homme et la béatitude*, trad. Janet, chap. XXIII, p. 114.

PARS SECUNDA.

QUALI CONNEXIONE MENS ET CORPUS
INTER SE CONJUNGANTUR.



QUALI CONNEXIONE MENS ET CORPUS
INTER SE CONJUNGANTUR.

Quid de mente vere senserit Spinoza, is pæne nesciret cui satis esset inquirere quid in se mens sit : etenim in hac disciplinâ, plus quam in quâlibet aliâ, necesse est ut mediteris, scruterisque tum quæ sit corporis essentia, tum quo pacto mens et corpus hæreant : utriusque enim arcissima conjunctio ; adeo ut altera sine altero concipi nequeat.

Itaque triplex est de eâ re quæstio :

- 1^o Quomodo corpori mens jungatur ;
 - 2^o Quomodo corpus mens cognoscat ;
 - 3^o Quomodo mens in corpus agat.
-

CAPUT I.

QUOMODO CORPORI MENS JUNGATUR.

I. — Non idem hic quæritur ac si esset indagandum quo vinculo duæ non solum dissimiles substantiæ, sed etiam contrariæ inter se nectantur. Mens enim et corpus naturâ necessariòque sociata sunt, tanquam unius, ejusdemque substantiæ modi, nec alia est ratio cur mens existat, nisi quod illius corpus in cogitatione exprimitur.

« Objectum ideæ, humanam mentem constituentis, est corpus, sive certus Extensionis modus actu existens, *et nihil aliud*..... Ex his non tantum intelligimus mentem humanam unitam esse corpori, sed etiam quid per mentis et corporis unionem intelligendum sit ⁽¹⁾. » Non autem experientiâ, neque intuita mentem nostram corporis cujusdam scimus esse comitem; nec enim aliter in eâ doctrinâ se res habere posset. « Clare

(1) *Eth.* Pars II, prop. 13, Schol. p. 52.

percipimus nos tale corpus sentire, et nullum aliud; inde, inquam, clare concludimus animam unitam esse corpori, quæ unio est causa talis sensationis. — Per illam unionem nihil intelligimus præter sensationem ipsam, effectum scilicet, ex quo causam, de quâ nihil intelligimus, concludebamus ⁽¹⁾. »

II. — Ceterum in eo nihil est quod non sit omni naturæ commune. Lege enim universali, necessariâque, res omnes, nec solum corpora, corporumque partes, sed cæterorum etiam attributorum, quæ nobis cognoscere non licet, modi, quin imo, ipsæ ideæ, ideis quibusdam in cogitatione exprimuntur, quia nihil est quod non Deus concipiat. Namque mens ab objecto pendet, *qualecumque id sit*. Non enim de solius extensionis modo loquitur Spinoza, at de quovis aliorum attributorum modo, quæ, haud secus ac extensio, mentes, ut ait, habent ⁽²⁾. Mentis nomine non ideæ tantum dignæ sunt quæ ex corporum, sed quæ ex *cæterorum attributorum* modificationibus nascuntur ⁽³⁾. Porro mentis ipsius cujusque aliquam in Deo ideam dari nobis erit videndum.

III. — Mens igitur non res est separatim et in se solâ existens, quæ fortuito, ut ita dicam, et fragili vinculo corpori cuidam jungeretur, quod contra in se

(1) *Tractatus de intellectus emendatione*. — 1677, p. 363.

(2) *Dieu, l'homme et la béatitude*. — Appendice, p. 131, trad. Janet.

(3) *Ibid.* p. 133.

et ab omni mente sejunctum posset, quamvis mortuum, permanere. Nulla est absque corpore mens, nullum absque mente corpus. Itaque, si quidem humanæ mentis eam sustulerimus partem quæ Deum exprimit, ideoque æterna est, non fruitur homo proprio quodam et insigni principio, quo funditus a ceteris animalibus, a ceteris etiam rebus secernatur. Omnis enim natura « animata » est.

Hic operæ pretium est animadvertere Spinozam Leibnitziumque in eandem doctrinam simul incidisse, quæ nunc non verisimillima solum habetur, sed etiam ad hominis totiusque naturæ leges cognoscendas plurimum refert; nusquam scilicet cogitationem et extensionem omnino sejungi ⁽¹⁾. Quapropter non una tantum, at multæ eodem in animali mentes ita consociatæ involvuntur ut earum quæque partes proprias agat, et ex omnium consensu et conspiratione vita fiat totius animalis. Nota satis Leibnitzii de eâ re doctrina ut non sit nobis hic referenda. — Id tamen notandum, hanc scilicet eandem harmoniam non ab eâdem origine apud Leibnitzium oriri et apud Spinozam; quum ille res contendat in intellectu Dei simul fuisse conceptas prius quam existerent, præstatutumque rerum ordinem; hic autem existimet modos omnes e Dei naturâ, lege quâdam necessariâ, continuò manare ⁽²⁾.

(1) Cf. *Introduction aux œuvres de Spinoza*, par Emile Saisset, p. 114.

(2) Vid. Fr. Bouillier. *Histoire de la Philosophie Cartésienne*, t. I, ch. XVII, p. 368.

CAPUT II.

QUOMODO CORPUS MENS COGNOSCAT EOQUE SE IPSAM.

IV. — Ad id de quo hic agitur minime pertinet inquirere quid de *perceptione* Spinoza professus sit; haud parvi tamen refert indagare quo pacto mens corpus suum cognoscat, quo tantum explanato, scire licebit quâ conditione mens suimetipsius sitconscia. Quæ quidem quæstio supervacua forsân videretur, quum mens nihil sit aliud quam corporis ipsius idea, sive cognitio. Atqui non ita res se habet.

Quid sit percipere primum inquiremus. — Mens humana pars est infiniti intellectûs Dei; proinde, quum dicitur hoc vel illud percipere, nihil aliud intelligendum est, nisi Deum, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, sive quatenus mentis essentiam constituit, hanc vel illam habere ideam; « et quum dicimus Deum hanc vel illam ideam habere, non tantum quatenus naturam humanæ

mentis constituit; sed quatenus simul cum mente humanâ alterius rei etiam habet ideam, tum dicimus mentem humanam rem ex parte, sive inadæquate percipere ⁽¹⁾. »

Quidquid autem in objecto cujuscumque ideæ contingit a Deo cognoscitur, quatenus ejusdem objecti ideâ affectus consideratur, quapropter nihil in objecto mentis, id est in corpore, contingere poterit, cujus non detur necessariò idea in Deo, quatenus mentis essentiam constituit. Mens igitur illud percipiet; quare ideas affectionum corporis habemus ⁽²⁾.

V. — « Mens humana ipsum humanum corpus non cognoscit, nec ipsum existere scit, nisi per ideas affectionum, quibus corpus afficitur ⁽³⁾. »

Haud quidem facile est suspicari quid his verbis significare velit Spinoza. In mentis enim essentiâ antea dixit inesse partium ideas e quibus humanum corpus constituitur; mens tamen, quamvis corpus suum exprimat in cogitatione, nihilque sit aliud quam ipsius idea, non ideo illud cognoscit. At Spinozæ verba hic referamus: « Mens enim humana est ipsa idea, sive cognitio corporis humani, quæ in Deo quidem est, quatenus *aliâ rei singularis ideâ* affectus consideratur; vel quia corpus humanum plurimis corporibus indiget, a quibus continuò quasi regeneratur; at ordo et con-

(1) *Eth.* Pars II, prop. 11, Coroll., p. 50.

(2) *Ibid.* prop. 12, dem.

(3) *Ibid.* prop. 19.

nexio idearum idem est, ac ordo et connexio causarum : erit hæc idea in Deo , quatenus plurimarum rerum singularium ideis affectus consideratur. Deus itaque ideam corporis humani habet , sive corpus humanum cognoscit, quatenus plurimis aliis ideis affectus est , et non quatenus humanæ mentis naturam constituit , hoc est mens humana corpus humanum non cognoscit ⁽¹⁾. »

At contra quum corpus humanum aliis corporibus ita continuo afficiatur, diversissimæ affectiones in eo nascuntur quarum ideæ in Deo sunt, quatenus humanæ mentis naturam constituit. Itaque mens easdem affectiones percipit, « et consequenter ipsum corpus humanum , idque, ut actu existens. »

Attamen, si memoriam ad id revocaverimus, corpus humanum scilicet ex innumeris individuis constare , nihil que in eo vere unum esse nisi e ratione quâdam et consensu motuum ⁽²⁾, notandum erit fortasse nihil inter eas affectiones et , eodem quocumque tempore , corporis habitus interesse. Mens enim corpus suum nisi corporibus externis mutatum non percipit ; namque, ut ait Spinoza, omnes modi quibus afficitur corpus aliquod ex naturâ corporis affecti et ex naturâ simul corporis afficientis sequuntur. Affectionum igitur idea utriusque corporis naturam involvet. Unde fit ut mens humana « plurimorum corporum naturam unâ cum sui corporis naturâ percipiat ⁽³⁾. »

(1) *Ibid.* Dem., p. 64.

(2) Vide supra : Pars prima, cap. I, § IV.

(3) *Eth.* Pars II, prop. 16, dem.

VI. — Verumenim hæc corporis cognitio quæ menti sic datur, confusa est admodum et inadæquata. — Namque idea primum cujuscumque affectionis corporis humani « adæquatam ipsius humani corporis cognitionem non involvit ⁽¹⁾. » Quæque enim affectionum idea corpus exprimit, quatenus illud certo quodam modo affectum consideratur, non autem quatenus « individuum est quod multis aliis modis affici potest. »

In affectionum ideis deinde externorum corporum simul et corporis humani partium natura involvitur, cujus quidem cognitio in Deo non est quatenus humanâ mente, sed quatenus *aliis ideis* affectus consideratur. « Sunt ergo hæ affectionum ideæ, quatenus ad solam humanam mentem referuntur, veluti consequentiæ absque præmissis, hoc est ideæ confusæ ⁽²⁾. » Quum autem mens humana nisi per affectionum ideas corpus suum non cognoscat, inde sequitur ut ea ipsa cognitio sit quoque confusa.

Denique ex eo quod in mente sint partium corporis ideæ, non vere aliquis existimaret eas partes adæquate mentem cognoscere. Partes enim corporis « individua » sunt, valde quidem composita, quæ ab humano corpore, servatâ illius naturâ, segregari possunt, nec ideo ad ejusdem essentiam pertinent, nisi quatenus motus suos inter se communicant. Ex quo fit ut cujusque partis idea sive cognitio in Deo tantum sit « quatenus affectus consideratur aliâ ideâ rei singularis,

(1) *Ibid.* prop. 27.

(2) *Ibid.* prop. 28, dem.

quæ res singularis, ipsâ parte, ordine naturæ prior est.... et non quatenus corporis humani habet ideam, hoc est, ideam quæ humanæ mentis naturam constituit. » Quapropter humana mens corporis sui partium adæquatam cognitionem non involvit ⁽¹⁾.

Præterea, non solum de partibus, sed etiam « de *duratione* nostri corporis nullam nisi admodum inadæquatam cognitionem habere possumus ⁽²⁾. » Etenim corpus nostrum ab aliis, ut infra videbitur, ad existendum determinatur quæ quidem ab aliis quoque, et sic in infinitum, determinantur. Quare corporis nostri duratio non ab ejus essentiâ, sed a communi naturæ ordine, et rerum constitutione pendet. Cujus autem ordinis et constitutionis adæquata datur in Deo cognitio « quatenus rerum omnium ideas, et non quatenus tantum humani corporis ideam habet. » In mente igitur admodum inadæquata est corporis nostri durationis cognitio.

VII. — His demum expositis intelligetur quonam pacto mens suimet ipsius sit conscia. Ut enim nihil aliud mens est quam corporis idea, nec corpus nisi per affectionum ideas cognoscit, sic suimet ipsius non est conscia nisi per easdem corporis ideas.

Hic ceterum non est subjectum ab objecto segregandum; at unius ejusdemque substantiæ modi tantum in naturâ versantur, quorum alii alios exprimunt.

(1) *Ibid.* prop. 24, dem., p. 67. — Vid. etiam. *Ibid* prop. 13, Schol., p. 53.

(2) *Ibid.* prop. 30.

Quum enim de corporum perceptione agitur, extensionis modus cogitationis modo exprimitur; quum autem de idearum cognitione, idea quædam alterâ ideâ, quæ quidem nihil aliud est nisi prioris conscientia. Quapropter mentis humanæ conscientia non solum idearum summa est quæ corporis partium et affectionum ideas exprimunt, sed etiam mentis idea quædam singularis et una quæ necessariò datur in Deo.

Itaque « mens se ipsam non cognoscit, nisi quatenus corporis affectionum ideas percipit ⁽¹⁾. » Mens enim, ut videtur, sublatâ corporis cognitione sive ideâ, vacua esset, corpus autem nisi per affectionum ideas non cognoscitur. — At affectionum ideæ in mente humanâ sunt, sive in Deo quatenus mentis essentiam constituit. Harum igitur idearum ideæ in Deo necessariò sunt, quatenus mentis cognitionem habet ⁽²⁾. Unde fit ut in mente sit conscientia quædam idearum quas ipsa in se amplectitur.

VIII. — Quinetiam, mens ipsa, sive corporis idea, alterâ quadam exprimitur ideâ quæ quidem haud dubio illius veram unitatem refert ⁽³⁾. « Mentis humanæ datur etiam in Deo idea, sive cognitio, quæ in Deo eodem modo sequitur et ad Deum eodem modo refertur, ac idea sive cognitio corporis humani ⁽⁴⁾. » Et « hæc

(1) *Ibid.* prop. 23.

(2) *Ibid.* prop. 22, dem.

(3) Vide supra, p.

(4) *Ibid.* prop. 20.

mentis idea eodem modo unita est menti, ac ipsa mens unita est corpori ⁽¹⁾, » tanquam scilicet objecto.

Ne quis tamen arbitretur mentem et mentis ideam res esse duas reipsa sejunctas, quum sit utraque non solum unius substantiæ modificatio, sed etiam ejusdem attributi modus; quod ex ipsius Spinozæ verbis clarissime apparet: « Ostendimus corporis ideam et corpus, hoc est mentem et corpus unum et idem esse Individuum, quod jam sub cogitationis, jam sub extensionis attributo concipitur; quare mentis idea et ipsa mens una eademque est res, quæ sub uno eodemque attributo, nempe cogitationis, concipitur. Mentis, inquam, idea, et ipsa mens in Deo eâdem necessitate ex eâdem cogitandi potentiâ sequuntur. Nam revera idea mentis, hoc est *idea ideæ*, nihil aliud est quam forma ideæ, quatenus hæc, ut modus cogitandi, absque relatione ad objectum consideratur; simul ac enim quis aliquid scit, *eo ipso scit se id scire*, et simul scit se scire quod scit, et sic in infinitum ⁽²⁾. » Ea quidem mentis idea totâ cum disciplinâ parum congruere visa fuit, Spinozaque dictus sibi discrepuisse, et *rem in se*, aliàs amotam, hic reduxisse ⁽³⁾. Nostrâ

(1) *Ibid.* prop. 21.

(2) *Ibid.* Schol., p. 65.

(3) Hanc doctrinæ partem Kuno Fischer maxime obscuram dicit, « Punkt den dunkelsten in dem ganzen System » additque « das Selbstbewusstsein sei der Ausdruck eines *selbständigen* von allen Dingen im allen Bestimmungen unterschiedenen, also allgemeinen und unbestimmten Wesens. . . . Sie ist daher entweder der grösste Widerspruch, in den Spinoza gerathen konnte, oder eine Fähllässigkeit. » — *Geschichte der neuern Philosophie*. — Heidelberg 1865, t. II, p. 434. — Erdmann contra de ea re Spinozam defendit. — *Vermischte Aufsätze*. — 1846, p. 180. — Vide etiam. Fr. Bouillier. *Histoire de la Philosophie Cartésienne*, t. I, ch. XVII, p. 372 et seq.

autem sententiâ, ex eo quod res omnis exprimitur in cogitatione necessariò sequitur mentem ipsam ideâ quoque exprimi quæ partes illius unâ referat. Id tamen non infitiandum difficile intelligi quonam modo scilicet hæc idea menti hæreat quasi pars intima, non autem ab eâ sit sejuncta et vere segregata.

IX. — Cognitione igitur confusâ quoque et inadæquatâ et vere « primi generis ⁽¹⁾ » mens se ipsam cognoscit. — Quod si tamen, non ex ordine communi naturæ, id est *experientiâ vagâ*, mens res percipit, sed *ratione* eas, aut etiam *interiore intuitu* contemplatur, tum ad distinctam adæquatamque et *tertiî generis* cognitionem ei licet pervenire. « Dico expresse, quod mens nec sui ipsius, nec sui corporis, nec corporum externorum adæquatam, sed confusam tantum cognitionem habeat, quoties *ex communi naturæ ordine* res percipit; hoc est, quoties *externè*, ex rerum nempe fortuito occursu, determinatur ad hoc vel illud contemplandum, et non quoties *internè*, ex eo scilicet, quod res plures simul contemplatur, determinatur ad earundem convenientias, differentias, et oppugnantias intelligendum; quoties enim hoc vel alio modo internè disponitur, tum res clarè et distinctè contemplatur ⁽²⁾. »

(1) Vid. *Eth.* Pars II, prop. 40, schol. 2.

(2) *Ibid.* prop. 29, Schol. p. 70.

CAPUT III.

QUOMODO MENS IN CORPUS AGAT.

I

QUID SIT MENTIS ACTIVITAS.

X. — Quonam sensu intelligenda sit mentis *activitas* in operibus Spinozæ jam antea inquisivimus ⁽¹⁾. Activitas enim neque vis est, neque facultas singularis, nihilque aliud declarat nisi necessariam modorum seriem, qui alii ex aliis continuò sequuntur.

Illius autem activitatis principium et fons in mente non est. Res enim « quæ ad aliquid operandum determinata est, a Deo necessariò sic fuit determinata; et quæ a Deo non est determinata, non potest se ipsam

(1) Vide supra : Pars prima, caput IV.

ad operandum determinare ⁽¹⁾. » Namque Deus non solum rei cujusque essentiae, sed etiam existentiae causa est. Quare res quæ a Deo fuit ad aliquid agendum determinata, non potest per se ipsam indeterminata fieri, nam, ut supra visum, ex datâ causâ necessariò sequitur effectus; sin autem nulla datur, nihil sequitur:

At mens non protinus a Deo, sed interpositis modificationibus finitis ad agendum determinatur. Namque res nulla quæ finita est, et « determinatam habet existentiam, » existere, nec ad agendum determinari potest, nisi ab aliâ causâ determinetur quæ sit etiam finita..., et ab aliâ quoque determinetur finitâ et sic in infinitum ⁽²⁾. Leibnitzius tamen nobis haud immerito eâ de propositione scripsisse videtur vero propiorem Spinozam fuisse, si res singulares dixisset omnes a Deo determinari ⁽³⁾. Quidquid autem ex absolutâ alicujus Dei attributi naturâ sequitur, id infinitum et æternum est; quapropter neque mens, neque ulla res alia singularis ad existendum et operandum a Deo vel aliquo ejus

(1) *Eth.* Pars I, prop. 26.

(2) Vid. *Ibid.* prop. 28, p. 25.

(3) « Voila une opinion de Spinoza qui, bien examinée de près, donne des conséquences absurdes. En effet, les choses ne découleront jamais alors de la nature de Dieu; car ce qui détermine est déterminé à son tour, et ainsi à l'infini. Jamais donc une chose ne sera déterminée de Dieu. Dieu fournira seulement du sien quelques principes absolus, et généraux. Il serait plus exact de dire qu'un particulier n'est pas déterminé par un autre suivant un progrès à l'infini, autrement ils restent toujours indéterminés, si loin que vous alliez dans ce progrès; mais bien plutôt que tous les particuliers sont déterminés de Dieu. » — *Nouvelles remarques de Leibnitz sur l'Ethique de Spinoza.* — *Leibnitz, Descartes et Spinoza*, par Foucher de Careil. — Ladrangé 1863.

attributo determinari potest nisi quatenus modificatus est Deus modificatione quâdam finitâ.

XI. — Hac activitas præterea non solum in mente libertate caret, sed etiam ab origine suâ necessario manat : Nam « in rerum naturâ nullum datur contingens ; sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo existendum et operandum ⁽¹⁾ » Modi enim, veluti fluctus, necessario cursu defluunt, nec ulli propria est activitas, nec usquam inter eos reperitur libertati locus. Itaque nihil aliud mens est quam res quædam in rerum serie, ideoque motûs universi particeps. Nam « nihil existit ex cujus naturâ aliquis effectus non sequatur ⁽²⁾. » Quidquid enim existit Dei naturam, sive essentiam certo et determinato modo exprimit ; Dei autem potentia ipsius est essentia ⁽³⁾. — Ceterum ea ipsa potentia ex quâ mentis activitas oritur nihilo differt a necessitate. « Ea res libera dicetur, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, et a se solâ ad agendum determinatur ⁽⁴⁾. » Ne illâ quidem libertate homo fruitur, nec ei quidquam perficere licet quod non aliâ, ut ita dicam, externâ causâ determinetur, rerumque sit connexu omnino absolutum. « Voluntas certus tantum cogitandi modus est, *sicuti intellectus* ; adeoque unaquæque volitio non potest existere, neque ad operandum determinari, nisi ab

(1) *Eth.* Pars I, Prop. 29.

(2) *Ibid.* Prop. 36

(3) *Ibid.* Prop. 34.

(4) *Ibid.* Defin. 7.

aliâ causâ determinetur, et hæc rursus ab aliâ, et sic porro in infinitum ⁽¹⁾. »

XII. — Mentis igitur activitas nihil aliud est nisi modorum divinæ cogitationis naturalis necessariaque consecutio. Quam quidem doctrinam verbis extollit Spinoza : Eâ enim docemur nos ex solo Dei nutu agere, divinæque naturæ esse participes, et eo magis quo magis ipsi perfecti sumus, magisque Deum intelligimus ; nam « ipsa virtus Deoque servitus est ipsa felicitas, et summa libertas ⁽²⁾. » Hæc eadem doctrina, aliis expressa verbis, in opere antea scripto jam reperitur, nec alienum forsân videbitur quid eo tempore Spinoza sit professus hic conferre. « Primum enim *esse* scilicet *Essentiæ* nihil aliud est, quam modus ille, quo res creatæ in attributis Dei comprehenduntur ; *esse* deinde *Ideæ* dicitur, prout omnia objectivè in ideâ Dei continentur ; *esse* porro *Potentiae* dicitur tantum respectu potentiae Dei, quâ omnia nondum adhuc existentia ex absolutâ libertate voluntatis creare potuerat ; *esse* denique *Existentiae* est ipsa rerum essentia extra Deum, et in se considerata, tribuiturque rebus, postquam a Deo creatæ sunt ⁽³⁾. » Minime autem dubium est per creatas res Spinozam singulares significare modos.

Quæ quum ita sint, restat ut hoc demum explanemus quomodo scilicet mens in corpus agat.

(1) *Ibid.* Prop. 32. — Vid. etiam. *Eth.* Pars II, prop. 48, dem

(2) *Eth.* Pars II, prop. 49, schol. , p. 90.

(3) *Cogitata metaphysica*, pars I, ch. II, p. 98. — Amsterdam 1663.

II

QUOMODO MENS HUMANA IN CORPUS AGAT.

XIII. — Corpus quoque, si quis cogitatione illud ipsum, omissâ mente, respiciat, activitate quâdam præditum est, haud secus tamen ac mens ipsa. Ea enim activitas, corpori cuique non propria, e naturâ Dei necessariò quoque sequitur, extensionis autem modificationibus interpositis, namque si ex infinito absolute quoque attributo protinus manaret, foret ipsa infinita absolutaque ⁽¹⁾.

Spinoza quidem de corporis humani « actione », de « spontaneo motu » nonnunquam loquitur (Pars II, prop. 13, schol. — Prop. 17, coroll., dem.). Ne illis tamen verbis fallamur, utpote quæ ad motus tantum pertinent quos corpus quodque a partibus suis intimis accipit, quum contra fiat ut idem externis quoque corporibus possit forte moveri ⁽²⁾. Nulla enim in eo vis est vere tensa, et quasi parata ad actum, quâ, nullâ extrinsecus impellente causâ, sponte queat et suoapte motu agere.

Quæ sit corporis essentia non hic est referendum. Omnia corpora, ut antea visum est, vel moventur, vel

(1) Cf. Ep. LXXI et LXXII.

(2) Quod parum intellexisse videtur *Turbiglio* quum Spinozam de ea re suam mutavisse sententiam contendit. — Vid. *Beneditto Spinoza et le trasformazioni del suo pensiero*. — Roma 1875, p. 174.

quiescunt. At, vel ad motum, vel ad quietem necesse est ut eorum quodque alio corpore determinetur, quod ad motum etiam vel ad quietem alio determinatum fuit, et illud iterum alio, et sic in infinitum; ita ut causæ causas serentes a Deo tantum originem ducant. « Hinc sequitur corpus motum tamdiu moveri, donec ab alio corpore ad quiescendum determinetur; et corpus quiescens tamdiu etiam quiescere donec ab alio ad motum determinetur ⁽¹⁾. » Unde jam videre est humanum corpus nisi alio corpore non posse moveri, nec ad id impellendum mentem reipsa valere, quippe quæ in illâ doctrinâ causæ efficientis partes non agat ⁽²⁾.

XIV. — Hic non eadem est quæstio ac in Cartesii philosophiâ: non quæritur quonam pacto substantia quædam alteram moveat; cogitationis modi alii ex aliis, infinitâ serie sequuntur; alii contra ex aliis ordinem illum imitantur ac referunt extensionis modi. Quare hoc unum in dubio est, nempe quo pacto his illi, quasi paria respondeant.

Quonam sensu mens humana motûs cujusdam causa dicatur ita fit manifestum. Eam enim scimus esse causam adæquatam cujus effectus per eandem clare et distincte percipi potest ⁽³⁾. Itaque non a Spinozæ sententiâ longe forsitan recederet, si quis in ideis diceret

(1) *Eth.* Pars II, ax. 2, lemm. 3, coroll. , p. 54.

(2) Vid. *Ueber die beiden ersten Phasen des Spinozischen Pantheismus, und das Verhältniss der zweiten zur dritten Phase*, von Richard Avenarius. — Leipsig 1868, p. 82.

(3) *Eth.* Pars III, def. 1.

motuum non causam quidem efficientem, at rationem inesse. Mens nostra « quatenus adæquatas habet ideas, eatenus quædam necessariò *agit*, et quatenus ideas habet inadæquatas eatenus necessariò quædam *pattitur* ⁽¹⁾. » Quum autem ex datâ quâcumque ideâ aliquid effectus necessariò sequatur, fit ut neque mens vi quâdam *transivita* in corpus agat, neque corpus in mentem. « Nec corpus mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid (si quid est) aliud determinare potest ⁽²⁾. » Omnium enim cogitandi modorum Deus est causa, sed quatenus res est cogitans, et non quatenus alio attributo explicatur. Quidquid contra in corpore fit, a Deo oritur quoque, sed quatenus aliquo extensionis, non autem cogitationis modo affectus consideratur. Itaque nihil in humano corpore a mente propriè efficitur, quæ modus est cogitandi. Mens corpusque, si verbum recens usurpare licet, duo sunt automata eâdem mota machinâ.

Quod quidem his verbis enodatè explanatum videtur : « Mens et corpus una, eademque res fit, quæ jam sub cogitationis, jam sub extensionis attributo concipitur. Unde fit ut ordo, sive rerum concatenatio *una* sit, sive natura sub hoc, sive sub illo attributo concipiat, consequenter ut ordo actionum et passionum corporis nostri *simul sit naturâ* cum ordine actionum

(1) *Ibid.* Prop. 1.

(2) *Ibid.* Prop. 2.

et passionum mentis ⁽¹⁾. » Ex quo facile intellectu est quantum hæc doctrina *præstabilitæ harmoniæ* congruat ; sublatâ enim sive unâ , sive multiplici substantiâ , consentiunt inter se Spinoza Leibnitzusque.

XV. — Ne quis miretur humano corpori non opus esse ad agendum vi quâdam voluntariâ , experientiam Spinoza testatur, contenditque corpore multa ex solis suæ naturæ legibus effici quæ mens ipsius admiratur. Qui autem corpus ad nutum a voluntate moveri profitentur, nesciunt quâ ratione , quibusve mediis hoc efficiatur, nec quantum motûs mens corpori tribuere queat, quippe qui se veram motuum causam ignorare speciosis verbis ita fateantur. Præterea quum corpus somno quiescit, nonne mens quoque sopita languet?

Quin etiam, si quis extensionis modos necessariâ lege ad infinitum explicari respexerit, non mirabitur quod Spinoza corpori omnia efficiendi copiam tribuere non dubitaverit. « At dicent ex solis legibus naturæ, quatenus corporea tantum consideratur, fieri non posse, ut causæ ædificiorum, picturarum, rerumque hujus modi, quæ solâ humanâ arte fiunt, possint deduci..... Verum ego jam ostendi ipsos nescire quid corpus possit, quidve ex solâ ipsius naturæ contemplatione possit deduci, ipsosque plurima experiri ex solis naturæ legibus fieri, quæ nunquam credidissent posse fieri nisi ex mentis directione, ut sunt ea quæ som-

(1) *Ibid.* Schol. = Cf. Ep. LXV et LXVI.

nambuli in sommis agunt, quæque ipsi, dum vigilant, admirantur. — Addo hic ipsam corporis humani fabricam, quæ artificio longe superat omnes quæ humanâ arte fabricatæ sunt, ut jam taceam quod supra ostenderit, ex naturâ, sub quovis attributo consideratâ, infinita sequi (1). »

XVI. — Ita fit ut mentis actiones corporis actionibus naturâ respondeant, quamvis nulla sit vere efficiens causa, nisi Deus ipse, cujus potestas variis simul, eodemque tempore modis exprimitur. « Quæ omnia profecto clare ostendunt *mentis* tam *decretum* quam *appetitum*, et *corporis determinationem simul esse naturâ*, vel potius unam eandemque rem quando sub cogitationis attributo consideratur, et per se ipsum explicatur, decretum appellamus, et quando sub extensionis attributo consideratur, et ex legibus motûs, et quietis deducitur, determinationem vocamus (2). » Nec merito, nostrâ quidem sententiâ, arguitur Spinoza suam de eâ re mutavisse doctrinam, primûmque mentibus et corporibus, in opere « de Deo et homine », actionem addidisse mutuam (3), eâdemque postea, parum sibi constantem, utraque spoliavisse.

(1) *Ibid.* p. 99.

(2) *Ibid.* p. 100.

(3) Wechselwirkung. Vid. *Spinoza's neuentdeckter Tractat von Gott, dem Menschen und dessen Glückseligkeit, erläutert*, von Dr Christoph Sigwart. — Gotha 1866, p. 53.

XVII. — In summâ, minime dubium est quin Spinoza mentis essentiam ideam esse, sive merum cogitationis modum, semper sit professus; quæ quidem idea a ceteris objecto tantum, non autem naturâ distinguitur. Mentis objectum corpus est, sive extensionis modus. Corpus vero quodvis e corporibus aliis constat, quæ motus invicem mutuos, certâ quâdem ratione, communicant, « individuum que » multa in se « individua » complectitur. — Quocirca e multis quoque ideis humana mens constat, quæ multas humani corporis partes in cogitatione simul exprimunt. Nec tamen, nostrâ sententiâ, aliquis vere contenderet in mente nihil unum posse reperiri; siquidem non partes solum, sed partium summam et ordinem in cogitatione referri necesse est. — Quum autem idea quæque affirmationem involvat, haud mirum in mente nihil nisi ideas esse, voluntatemque et affectum ab ideis a Spinoza non sejungi, quæ « concatenationis » legibus omnes reguntur. — Conatus ipse, de quo sæpissime agitur, neque vis propria, neque peculiaris activitas, at naturalis tantum necessariaque habendus est consecutio.

Quamquam hoc unum est munus mentis ut corpus exprimat et ejus elementa cogitatione repercussa reflectat, non ideo ipsa in se nulla est, aut ex corpore manat, cujus quasi umbra sit. Id verum esset si corpus mentem tempore anteiret. Non ita vero se res habet: pars enim utraque modus est æqualis universæ substantiæ, ita ut utraque æquo jure existat.

Quæ quum ita sint, non aliter mens humana humanumque corpus inter se connectuntur ac in totâ naturâ naturatâ ceteri cogitationis et extensionis modi, quorum alii aliis ita exprimuntur, ut ab infimis rebus usque ad ipsam rerum universitatem, omnia sint « animata. » — Menti tamen, quoties tertio cognitionis genere non utitur, corpus suum nisi confuse, et inadæquate, et per affectionum ideas, percipere non licet. — Quum tandem modus quicumque ex alio tantum ejusdem attributi modo sequatur sit necesse, non est quærendum quâ vi mens in corpus vere queat agere; mens enim motuum vix ratio diceretur, non autem efficiens causa: at modorum duæ series eo ordine ex unâ Dei activitate oriuntur ut alii aliis naturâ, semperque respondeant.

Si quis præterea hanc Spinozæ doctrinam æstimare velit, quidquæ veri in eâ contineatur inquirere, quod nunc etiam maneât inconcussum, mirum sane videbitur ad eadem, argumentatione a priori deductâ, Spinozam pervenisse, quæ, nostrâ ætate, philosophi solius experientiæ studiosi de magnis quibusdam quæstionibus profitentur. Quum enim a Cartesio de mentis atque corporis connexionem, tum a Leibnitzio simul dissentiens, doctrinam profert Spinoza mæxime, si ad tempus respicias, novam et conspicuam, qui quidem corporum motus neque solis, ut ita dicam, mechanicis legibus regi, neque viribus occultis effici arbitraretur, at cogitationem semper et ubique corporibus ita immixtam esse ne quid aliud in naturâ sit inquirendum nisi duplex et continua modorum series.

Nec existimandum sic principiis eam doctrinam cohærere ut non possit ab eis commodè sejungi. Substantiâ enim quam initio æternam, necessariamque posuit Spinoza, nunquam ille utitur ad explanandos corporis aut mentis cujusque habitus, quum ne voluntas quidem aliud sit in hominum mente atque affirmatio in ideis involuta. Quod diutius antea de substantiâ disser-tum est, hic esset repetendum. — At permultis philo-sophis, quibus nihil præter phænomena existere certum est, quæ gravissima de mente excogitavit Spinoza, accipienda videntur. Quid enim illorum refert utrum ex unâ substantiâ, an ex pluribus ista phænomena oriantur? Satis est, ad confirmandam nostri philosophi doctrinæ summam, si constet omnes extensionis modos per modos cogitationis exprimi, eâ tamen conditione ut ejus æqualitatis, harmoniæve originem ponas in Divinâ potestate.

Quibus causis haud dubium Spinozam ad hanc opi-nionem fuisse adductum, quæ illi Leibnitzioque com-muni erit laudi, innumeras scilicet, gradu tantum diversas, eodem in animali mentes, sive conscientias, comprehendî, corporis partium comites, quarum gra-tiâ animal quodque animalium quasi societas haberi queat.

Quamobrem, si quis veram existimet mentem eam, quâ homo fit unus, quamque Spinoza mentis ideam vocat, et in quâ quidquid ceteras ejusdem hominis mentes afficit simul exprimitur, non est quod hæc de mentis essentiâ doctrina non solum verisimillima,

sed etiam præclara non videatur. — Quæ causa est
cur illam a totâ disciplinâ, quantum licet, segregare
et absolvere nobis placuerit, ut quod in eâ sit recen-
tioribus doctrinis consentaneum manifestum appareat.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Paris, in Sorbonâ

a. d. VI Kal. Decembr. an. MDCCCLXXIX,

Facultatis Litterarum in Academiâ

Pariensi decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur

Academiæ Pariensis rector,

GRÉARD.

1840

1840

1840

1840

1840

1840

1840

1840

INDEX.

PARS PRIMA.

De Mentis essentia.

CAPUT I. — Quid sit alicujus rei , quid mentis essentia.....	3
CAPUT II. — Sitne mens simplex et una	11
CAPUT III. — Nihil est in mente quod non ex ideâ oriatur.....	15
CAPUT IV. — Nihil inter conatum et idearum seriem dispar	21
CAPUT V. — De ideâ corporis humani sub æternitatis specie expressi	25

PARS SECUNDA.

Quali connexione mens et corpus inter se jungantur

CAPUT I. — Quomodo corpori mens jungatur.....	34
CAPUT II. — Quomodo corpus mens cognoscat eoque se ipsam .	37
CAPUT III. — Quomodo mens in corpus agat.....	45



